

4^o Theol.
3432

DE
LIBERTATE GENVINA
COGITANDI, DOCENDI VIVENDIQUE
AB
AVGVSTANAE CONFSSIONIS AVCTORIBVS
RE AC VERBIS COMMENDATA

ORATIO SOLEMNIS

QVAM

EX

INSTITVTO LYNCKERIANO

A. D. VI. AVGVSTI MDCCLXXXVIII.

IN TEMPLO ACADEMICO

HABVIT

M. CAR. CHRIST. ERHARD SCHMID

ORD. PHILOS. ADJVNT. DESIGN.

I E N A E
LITERIS GOEFFERDTIANIS.

MAGNIFICE ACADEMIAE PRORECTOR!


DESIGNATE PRORECTOR MAGNIFICE!

PATRES CONSCRIPTI

VIRI SVMME VENERANDI, ILLVSTRES
CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI
EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI!

COMMILITONES GENEROSISSIMI, SVAVISSIMI
DOCTISSIMI QVIBV

AVDITORES OMNIVM ORDINVM, SVA
QVISQVE DIGNITATE AC LOCO
SPECTATISSIMI!



Inter omnia, quae in humanam conditionem cadunt, bona nullum haberi ac dici posse maius, nullum cum felicitate nostra pariter atque dignitate, nobis prae ceteris animantibus propria, coniunctius, nullum denique esse, quod, quo quis magis vir bonus est, eo minus sibi abripi patiat, quam libertatem ea sentiendi, quae natura atque mens propria cuiusque sentire iubeant, sensa pronuntiandi et cum aliis communicandi, ex sua animi sententia ac persuasione vivendi, a nullius autem, quicumque demum sit, opinionibus, praeceptis et institutis, nisi libero animo

animo suoque ipsius consilio acceptis, pendendi; illud est, quod nemini VESTRVM, AUDITORES, vel ignotum esse, vel dubium, ne dicam falsum et erroneum videri posse, mihi ita persuasum est, vt vel leuissimae dubitationis significatio iniuriosa in animum VESTRVM esse videatur. Quamuis autem omnis omnino sentiendi, dicendi viuendique libertas, in qualicunq; re ea versetur, magni ab hominibus aestimetur, eiusque fructus iucundissimi, iactura contra grauissima et tristissima habeantur: eam tamen omnes boni viri maxima animi contentione sibi comparare, comparatam a quolibet hostili conatu defendere inuoluntamque seruare, ereptam vero student vindicare, quae ad officia humana et ad religionem summo numini habendam proxime spectat; de quibus rebus quid sentire, quid docere, quid denique agere debeant, omnis alieni praecepti atque coactionis sese maxime impatientes esse semper demonstrant. Quid igitur mirum, quod qui hanc libertatem, tanquam omnis non solum felicitatis sed etiam maxime dignitatis humanae causam principem et necessariam, ereptam et cum seruitute non minus turpi quam infelici commutatam, reparauerint et stabiliuerint olim, vel singulis hominibus, vel vniuersis gentibus, populis hominumque societatibus, in hominum de humana omni societate, de republica, de amicis optime meritorum numero ab omnibus, qui recte iudicant, habeantur, summisque laudibus vno quasi ore praedicentur. Grata piaque memoria merito colimus nomina virorum, ingenio excellentium animoque praestantium, quibus suae aetatis homines hanc felicitatem restitutam, posteris seruata, tanquam primis auctoribus et vindicibus e seruitute debent? Quam putemus aliam esse causam, nisi hunc libertatis amorem, hanc erga liberatores exturpissimis seruitutis vinculis reuerentiam, qua commoti atque impulsos nos liberalioris formae Christiani, a protestatione appellati, reformatorum religionis et restauratorum primogeniae libertatis Christianae a tyrannide Hierarchica per multa annorum secula oppressae, nomina Lutheri, Melancthonis, Vlrici Zwinglii et qui communia cum his studia sequebantur, summa semper veneratione prosecuti simus atque etiam nunc prosequamur, meritorum eius immortalium et plane singularium

larium memoriam gratissima semper mente recolamus summisque laudum praedicationibus extollamus? Quenam alia esse et offerri potest ratio. quare monumenta et quasi *συμβολα* rerum seculo XVI. tam feliciter pro libertate cogitandi, dicendi viuendique gestarum tanti ab omnibus *γνησις* Protestantibus et Lutheranis aestimentur, cum tanta voluptate inspiciantur, toties legantur tam diligentique virorum eruditorum studio tractentur repetantur, explicentur? Quibus omnibus nihil aliud efficitur, nisi quod libertatis nobis reparatae gratissimum sensum renouemus, atque magis magisque augeamus, grataeque mentis officio quodam certo modo satis faciamus. Quis enim est, nisi forte vel libertati salutique generis humani male cupiat, vel bonorum cum libertate iunctorum sensum amiserit, quis est, qui Augustanam Confessionem, primam eam a Protestantibus Christianis suae religionis i. e. libertatis Christianae publice factam significationem, ipsi Imperatori Augusto Carolo V. omnibusque imperii Romano-Germanici principibus in comitiis Augustanis, a. Chrif. aerae MDXXX. d. XXIV. Jun. publice praelectam atque traditam, vnquam legerit, qui temporum illorum conditionem nouerit et quibus malis populus christianus inprimis in Germania vexatus et quae bona hoc reformatorum studio parata fuerint, ex historiae annalibus satis intellexerit, quis quaeso est, quin suauissimo sensu beneficiorum istorum perfusum et in restauratores liberalioris disciplinae Christianae gratissimum animum habeat, et in maxima praecipuaque felicitatis suae parte hoc ponat atque referat, quod hanc confessionem *suam* dicere fructibusque eius saluberrimis atque dulcissimis sine omni iacturae periculo frui possit.

Equidem non dubito, ingenue et publice profiteri, me hanc ob causam mihi gratulari atque me sortemque meam satis felicem praedicare, quod istorum commodorum, nunquam satis extollendorum, participem me sentiam, et praeter nomina mea, ab *humanitate* et a *Christiana* religione petita, nullum esse, quo magis delecter, nullum, quod honorificentius atque splendidius existimem nomine *Protestantis* laudeque Lutherani.



Exoptatissima mihi hodie offertur causa et occasio, hanc felicitatem praedicandi et haec reformatorum studia laudibus iustis celebrandi, quum ex instituto et mandato *Perillustri quondam et Generosissimi Viri*, NICOLAI CHRISTOPHORI liberi baronis DE LYNCKER, cuius munificentia ac liberalitate dies hic Augustanae Confessionis memoriae pie ac solemniter recolendae sacratus est, et beneficiis celeberrimi huius et de nostra Academia olim optime meriti oblitus, oratio mihi publice sit coram VOBIS, *Auditores honoratissimi atque praestantissimi*, habenda, qua laudes A. C. celebrentur. Quo quidem munere grauissimo atque honorificentissimo ita, ut rei dignitas, diei solemnitas et splendor et mea VOBIS, *Auditores spectatissimi*, habenda reuerentia requirere videtur, fungi, VESTRISQUE auribus satis digna proferre, mihi per virum mearum, quam probe sentio, imbecillitatem non licet. Opus enim esset ad hanc rem magna eruditionis praesertim historicae copia et abundantia, magna quoque sermonis suavitate, elegantia, gravitate, a quibus omnibus me alienum profiteor; opus quoque esset multo tempore in materia orationis colligenda, disponenda et elaboranda consumto, quod huic negotio impendendum alii labores officiaque suscepta mihi nunc non reliquerunt. Duo autem sunt, quae animum mihi addunt, de hac grauissima re, die tam illustri, in conuentu ornatissimo verba facturo; primum animus meus gratissimo beneficiorum ab A. C. professorum sensu perfusus et ad laudes eorum celebrandas propensissime paratus; tum vero etiam maxime VESTRA, *Auditores ornatissimi*, benignitas ac beneuolentia, quam, ut magis animum et consilium, quam eam, qua id persecutus sum, rationem spectetis, effecturam esse, spero atque confido.

Multa, *Auditores gravissimi*, iamiam inde ab eo, quo conscripta est A. C. tempore ad nostrum vsque annum vel a Protestantibus ipsis, vel interdum etiam a Catholicis in laudem eius dicta audiuius, scripta legimus; quae colligere et vno quasi obtutu proponere longum atque difficile esset opus. Plura tamen profecto restant, quae nondum satis accurate et copiose tractata,



tractata, nec dum exhausta videntur esse. Multorum quoque laudes propius ad naturam reprehensionum quam laudum videntur accedere, quamuis ab animo satis pio et venerationis in A. C. pleno fuerint profectae. Sic, ut vnicum exemplum afferam, non defuerunt theologi, qui quum Protestantium nomen sibi tribuerent, tam alieni a sensu et animo *γνησιος* Protestantium essent, ut superstitioso quodam cultu effata scriptaque Lutheri et sociorum operis eius reformatorii omnia atque singula prosequi, quasi oracula falli nescia habere, tantamque iis maximeque Augustanae Confessionis tribuere auctoritatem, scilicet internam, non vererentur, qualem vere Lutherani non nisi ipsi Deo, Pontificio - Catholici vero sanctissimo suo patri romano quasi Deo vicario, deberi putant. Qua sententia et opinione Flaciorum, Calouiorum, similium quid excogitari potest illiberalius, quid primariae causae Protestantium, omnem de rebus cum religione et virtute copulatis auctoritatem humanam plane respicientis, magis repugnans et inimicum? quid denique est, quo maximum illud et obseruatu dignissimum, quod Protestantes a Catholicis Christianis se iungit, discrimen magis omni ex parte tollatur, noua Hierarchiae forma atque species, a Pontificia tantum non differens, in nostram religionis, liberae scilicet et solis diuinis oraculis rectaeque rationis praecipis superstructae, disciplinam inducatur, omnisque natura vis, dignitas atque praestantia Protestantismi funditus deleatur? Quid? quod etiam huiusmodi sententiis temere pronunciatis exoptatissimam causam et opportunitatem, Protestantismi laudibus atque honori plurimum detrahendi, offerri manifestum est pontificiis paulo acutioribus, cum magna veritatis specie clamantibus: „vnius alteriusque de religione dogmatis diuersitatem dignam scilicet fuisse causam, quae tanta dissidia, tot rixas in ciuitatem Christianam induxerit, tamque tristis a Catholico Christianorum coetu se iunctionis occasionem praebuerit.“ Cuius quidem rei exemplum satis notum habemus *Ioannis Michaelis Schmidii* in historia sua, ceteroquin praestantissima, rerum germanicarum reformationis quoque a Luthero institutae mentionem facientis, parum profecto honorificam, atque leuissimum Lutheri reliquorum



rumque religionis restauratorum meritis pretium statuentis, Quae res magis adhuc esset dolenda, nisi doctum, subtilem et elegantem Protestantiam causa a Schmidii reprehensionibus nata esset defensorem Celeberrimum *Reinholdium* *) in Academia nostra nunc Philosophiae Professore dignissimum, cui ex hac causa omnes, qui Lutheri merita magna faciunt, plurimum gratiae habere debent.

Illud igitur, *Auditores gravissimi*, nobis oratione nostra persequendum sumimus argumentum, quod ipsum caput rei, de qua exponere iussus sum, attingere et quod summos Augustanae Confessioni honores et splendidissimas pariter ac verissimas laudes afferre, nec tamen magnam eruditionis historicae copiam ad explicandum requirere videtur, illud nimirum, quod libertatis homine christiano dignissimae sentiendi, docendi atque vivendi vindices Lutherum atque reliquos cum uniuersae reformationis, tum etiam maxime A. C. auctores sistat et commendet. Rogo igitur VOS, *Auditores honoratissimi*, omni qua decet obseruantia, vt hancce meam

de libertate genuina cogitandi, docendi viuendique ab Augustanae Confessionis auctoribus re ac verbis commendata

orationem breuem nec satis argumento suo dignam, beneuolis auribus accipiatis, nec, etiamsi vires suscepto consilio minus respondeant, ideo meum omnino aspernemini, dignitati rei atque audientium accommodate dicendi studium.

Ante omnia definienda certisque terminis includenda est notio quam de veri nominis *libertate* formare in animo nostro debemus

* Ehrenrettung der Lutherischen Reformation. — — — nebst einigen Bemerkungen über die gegenwärtige Reformation im Oesterreichischen v. Karl Leonhard Reinhold. Jena, 1789.



mus, ne forte per ambiguam huius vocabuli significationem inuidia rei saluberrimae ac honestissimae contrahatur. Est vero, vt paucis omnia complectar, veri nominis libertas plane diuersa ab illa licentia immoderata, nullas admittente regulas, nullam curante rationem, omniumque omnino legum auctoritatem spernente ac repudiante. Hanc nimirum commendare velle nihil aliud esset, quam hominibus persuadere, vt rationem ipsam, maximum illud a natura benigne nobis concessum donum contemnunt nihilique faciant, omnem abiiciant animi virtutem, omnem spernant rectam iudicii rationem, omnem denique societatis humanae ordinem ac coniunctionem e medio tollant. Nec igitur nullis legibus obstringitur, sed tantummodo *suis ipsius legibus* obtemperat, suam rationem suumque iudicium sequitur homo vere liber. *Autonomia* igitur ista, quo vocabulo graeco optime significari potest libertas, nec *ερεβονομια* admittit h. e. eam conditionem, qua alienas quis sequi debet leges, non suapte ratione constitutas, nec etiam *ἀνομια* illam inducit, quae omnis legis cogitationem reiecit et temerario consilio arbitrioque omnia permittit. Hisce limitibus veri nominis libertatis et eius, quae nomine isto honorificentissimo saepe abutitur, accurate constitutis, nunc ad singulas eius partes transeundum est, ac demonstrandum, qualis sit nominatim libertas *sentiendi*, tum *docendi*, denique *viuendi* a reformatoibus commendata et in omni A. C. expressa atque firmata.

Sentiendi vero libertatem, qua dicendi viuendique libertas quasi fundamento innititur, et sine qua nec *αυτονομια* docere nec ita viuere datur, dicimus eam, quae rectae rationi omnia sensa cogitataque submittit, ad eius regulam s. normam omnia disponit atque regit, aliorum vero effata atque iudicia non temere, nec semper, sed post factam demum argumentorum cognitionem et perspectam eorum cum iis, quae iam iam antea vera certaue cognita fuerint, consensionem, sua facit, in omnibus denique cogitatis atque iudiciis, vt sibi ipsi animus constet, summo studio laborat. Omnis autem praestantia huius in cogitando libertatis ex hoc vno perspicitur vnaque hac formula comprehenditur,



quod ea sola summam dignitatem rationis i. e. humanae supra ceterorum animantium sortem plurimum eminentis naturae tueatur, colat, nec ut iuribus ipsius quidquam derogetur, vlllo modo permittat. Is magno sane versaretur in errore, qui libertatem cogitandi eam, quam commendamus, a rectae rationis dictatis atque legibus seiungere et hominum cogitata nulla omnino lege contineri vellet. Sic enim omnia iudicia vana, arbitraria, temeraria, plane nulla futura essent; nec enim vera cogitatio, rectus sensus menti inesset, sed tantum fortuitae a phantasiae arbitrio pendentes, omnis rationis expertes, rerum quasi imagines, id quod ab hominis sola eius ratione reliqua animantia superantis dignitate prorsus esset alienum. Ratione enim sprete spernitur humana natura; eius qui tollere conatur auctoritatem, is humanae naturae iniuriam facere, qui eius plane incuriosus esse decernit, is humanitatem quasi exuere velle putandus est. Ab huius rectae rationis vsus iusti et necessarii contemptu nemo sane vnquam longius abfuisse videtur, quam A. C. auctores. Quid enim aliud, praeter hanc libertatem in cogitando, existimemus eos spectasse, quam per singulas fere paginas eius Confessionis in repudiandis hominum opinionibus ab arbitrio inuentis et excogitatis, et traditionibus, i. e. de religione sententiis, ecclesiae doctorum olim auctoritate summorum, patrum puto ecclesiae Christianae, conciliorum et pontificum Romanorum decretis, eos tam vehementer laborare atque hanc immoderatam venerationem atque fidem iis a Catholicis, uti vocantur, Christianis, habitam, tanquam superstitiosam et homine Christiano eodemque libero indignam, noxiam quoque religionis veritati atque hominum saluti perniciosissimam, ex mentibus suorum omnino extirpare, et rationi rectae, atque literis vere diuinis suam auctoritatem solam atque summam vindicare eos animaduerimus. Nonne vero, sic forte nobis obiiciat aliquis, nonne multae in horum reformatorum, quos tu cultores ac vindicatores rationis esse dicis, libris rationis humanae reprehensiones leguntur? Nonne tu igitur merita ipsis tribuis ea, a quibus omne eorum studium maxime fuit alienum? Speciem aliquam veri huic dubitationi inesse fateor; sed salua tamen res ipsa manebit.



nebit. Nam si, quod in liberalis et aequi lectoris officiis maxime necessarium est, non singula verba nimis premantur, sed omnis orationis nexu spectato, quid sibi velint istae in rationem directae voces paulo duriores, accurate inuestigetur, eas non ad omnem sed ad peruersum rationis et philosophiae vsum, non ad ingenuam in cogitando libertatem, sed ad temerariam atque immoderatam licentiam pertinere, luculenter apparet. Est enim et hoc rationis, fines ac terminos sui ipsius non ignorare, neque hos velle transcendere; nec libertati in cogitando aduersatur, extra fines eorum, quae *scientiae* humanae obnoxia sunt, *fidei*, non temerariae illi omnisque rationis experti, sed sensui hominum communi accommodatae et cum salute nostra arctissime coniunctae, locum suum concedere. Neque enim omnium rerum eadem esse potest cognoscendi ratio, sed argumentorum, quibus persuaderi oportet, magna varietas est; quam si quis non satis perspexerit, et omnium eandem, qua saepissime carere debemus, demonstrationem postulauerit, is profecto se ipsum optimarum rerum imprimis cum religione iunctarum, cognitione ad felicitatem suam fructuosissima priuabit. Ea autem omnia spernere ac reiicere velle, quorum cognitionis certus aliquis vel gradus vel modus negatus est a natura hominibus, illud non libertatis salubris sed licentiae perniciosissimae nomen meretur, quam reformatores et quis non alius vir bonus rerumque amans humanarum reprehendit. Quid? quod libertas in sentiendo contineatur maxime studio, a praeconceptis opinionibus, veluti antiquitatis, nouitatis, auctoritatis sese liberandi; in harum autem numero illa non vltima sit, quae nisi quae omni ex parte intelligi possint, ea omnia in errore posita statuat; tantum igitur abest, ut modestia in rebus humanam intelligentiam superantibus diiudicandis libertati repugnet, ut potius sine ea vera et genuina esse nullo modo possit. Tam illustri igitur, in sentiendo de religione libertatis exemplo ab A. C. auctoribus nobis, qui nomine Protestantium iure nostro gloriamur, ad imitandum proposito, indignum profecto esset futurum, nec praeclaro nomine nostro satis accommodatum, siue hancce libertatem, tam laudabiliter atque feliciter gestis reformatorum re-



bus comparatam et in commodis reformationis vniuersae maximum et sine omni dubio grauissimum, eripi denuo nobis pate-remur, siue etiam fructibus eius vti obliuisceremur. Libertate igitur de religione iudicii ita vtamur, vt ne ea in licentiam immoderatam abeat, nobis quam maxime caueamus. Rationis propriique iudicii vsu ita gaudeamus, vt ne finium ipsius ignari, modum nobis a natura constitutum excedamus; *scientiae* rerum diuinarum consequendae omnem nauemus operam, neque studio, industriae cogitandique labori parcamus, ita tamen vt etiam *fidei* sanae suus relinquatur locus. Absit, longissime absit a nobis ea superstitio, quae auctoritati hominis cuiusdam, siue Patris ecclesiae, siue Pontificis Romani, siue Lutheri, Zwinglii, et Caluini, siue alius, quicumque sit, theologi hominis pristinae aut recentioris aetatis tantum tribuit, vt a proprio iudicio et veri falsique inuestigatione, maximo illo humanae dignitatis specimine, sibi abstineat. Id potius omnes agamus, in eo laboremus, vt vnusquisque pro virium intelligentiae suae doctrinaeque modo, hac libertate cum modestia copulata in suo de religione iudicio diligenter vtatur, et tum demum nos *γνησιως* Protestantes, Augustanae confessioni addictos et Lutheranos existimemus, si praeclara illorum virorum, Lutheri, Melanchthonis, reliquorum vestigia non presse, sed ita, vt decet homines liberos et ingenuos, premamus, vt veritatis inuestigandae studio tam ardenti, pronuntiandae eius et in vsu nostrorum hominum conuertendae cupiditate singulari incendamur.

Progrediendum vero nobis est ad alteram argumenti partem exponendam, et de ea libertate, quae modo explicatam sequi debet, dicendi nimirum atque docendi, quae libero iudicii nostri vsu vera inuenerimus, verba sunt nobis faciendae.

Natura quidem sumus omnes ita constituti, vt magna trahamur cupiditate ad dicenda et cum aliis communicanda ea, quae nos senserimus et cogitauerimus, quae nobis vera certaue fuerint visa; vt eximia miraue afficiamur voluptate, si haec sensorum cogitatorumque nostrorum significatio et cum aliis communicatio nobis concedatur, nec vero quicquam grauius sentiamus, quam si ea nobis denegetur. Quis est, quin alios secum con-



consentientes, sua comprobantes reddere cupiat? quis qui non, isto consensu animaduerso, suis cogitatis magis delectetur et ad augendae amplificandaeque cognitionis suae studium hoc ipso magis in dies incitetur? Quis denique est, qui hac sibi opportunitate dulcissima ablata, hocce iure praestantissimo siue hominum malevolorum iniuria, siue rerum humanarum inconstantia sibi erepto, veritatis cognoscendae scientiaeque comparandae ardentissimum olim studium paulatim frigere ipsamque discendi inueniendique veri diligentiam sensim languescere sentiat? Haecce naturae humanae ad docendum propensio quum in omnibus rebus, etiam a communi hominum vita remotissimis, satis sit manifesta, maxima tamen in iis rebus esse animaduertitur, quae ad dignitatem et felicitatem vitae vel nostrae, vel aliorum hominum propius spectant, in quibus verum rectumque videre nobis et vniuerso hominum generi saluberrimum, in errore autem ignorantia versari perniciosum et cum nostrae tum omnis rei publicae humanae salutis contrarium esse videtur. In quorum numero primum locum dari etiam deberi religionis omnisque officii humani cognitioni, qua quidem nulla cum humana dignitate atque felicitate coniunctior esse et cogitari potest, illud extra omnem hominum intelligentium dubitationem positum est. Quodsi vero in his, quae modo exposuimus, omnes mirum in modum consentiunt homines, quid magis sensui hominum communi putarem consentaneum quam vt idem ius eandemque libertatem, sensa et cogitata sua de religione vel priuatim vel publice profitendi omnibus hominibus, nemine excepto, competere nec nisi iniuria grauissima illata negari cuipiam ac recusari posse, statuamus. Quamuis enim amoris aliis hominibus debiti officium manifesto iubeat, vt ne inconsiderata opinionum nostrarum cum aliis, qui minori facultate intelligendi praediti ad eas recte capiendas et in vitam communem transferendas non satis valeant, communicatione, virtuti ipsorum animique tranquillitati damna afferamus, maxima vtamur cautione: hac tamen ipsa amoris aliorum summa lege, tum vero etiam studii ac venerationis, quae veritati debetur, coniunctione cum virtute necessaria tenemur ad profitenda docendaque ea,



quaecunque nobis et vera et humano generi valde salubria atque vtilia esse videantur. Neque igitur libera veritatis, qualem nos intelligimus, professio et doctrina ad voluptatem solum referenda videtur, sed in ipso quoque grauissimorum officiorum numero habenda. Duplex autem est in hac re impositum nobis officium, alterum ut ipse quisque hac libertate sapienter utatur eamque contra omnium impedimentorum vario modo illatorum vim et iniuriam strenue tueatur et defendat; alterum ut ne ipse aliorum iuri libere de religione dicendi derogare vimque inferre debeat. Vtriusque rei magnum et illustre exemplum nobis proponit reformatorem et A. C. auctorem historia. Vtrumque officium ipsi reformatores doctrina et usu commendarunt; ipsi libertatem a tyrannide in mentes christianas ab ecclesiae magistratibus, Pontifice praefertim Romano, usurpatam, summo studio animoque nullum metuente periculum sibi restituerunt intemeratamque seruauerunt; ipsi ne alii homines huius libertatis usu moderato prohiberentur, firmissimis argumentis demonstrarunt; ipsi denique ne ista libertas in temerariam licentiam et inconsiderantiam quidvis dicendi abiret, summa cautione adhibita prouiderunt. Ipsi igitur dicendi, quae de religione quisquam sentiat, libertatem, singulis Christianis vniuersaeque Christianae ciuitati saluberrimam restitutam, et ab optimo quoque Protestantium Christianorum studiose seruata et moderate usurpatam, potissimum debemus; ipsi in hac re laetissima atque praestantissima optime de nobis meruerunt, gratissimaque memoria dignissimi sunt habendi et praedicandi. Tanta in ipsis erat veritatis veneratio, tantus hominum Christianorum amor, tantum libertatis vindicandae seruandaeque studium, ut nec opinio illa aetatis eorum peruulgatissima de obedientia ecclesiae Catholicae i. e. Pontifici Romano praestanda, ad deducendos eos a recta sententia, nec bonorum vitaeque pericula grauitate imminentia ad metu terrendos eos a publica veritatis ab ipsis cognitae professione quidquam valerent. Tam mira et incredibilis eorum erat cura, qua ne abuterentur incauti et temerarii homines ista docendi libertate, sapientissime cauerint, suoque ipsorum exemplo iustam moderationem in reijciendis peruulgatis de religione opinionibus optime commendaue-



clauerint. Quae ad virtutem germanam Christianorum augendam, quae ad mores emendandos, quae ad animi laetum et in aduersis rebus constantem efficiendum valere videbantur, ea profecto omnia libere, sine omni metu, publice pronuntiant; contra quae humanas solummodo opiniones cum virtute animique tranquillitate nullam rem habentes atque ritus innocuos quamuis non necessarios, spectarent, in iis ferendis non morosos sed facillimos sese gerebant. Veniam dicendi, quae vera cuique viderentur, dabant petebantque vicissim *): persecutiones, poenas, necis minas grauissimas nec ipsi verebantur, nec etiam aliis, secum non facientibus, irrogari debere statuebant. Cuius rei testimonia in reformationis historia extant bene multa et indubitata, quae nominatim afferre breuitate temporis huic orationi praescripti reiue amplitudine prohibemur, si quidem omnis fere de reformatione nobis narranda esset historia, si quae ad hanc rem comprobendam et illustrandam faciunt, omnia recensere vellemus. Nostrum vero est, *Auditores spectatissimi*, hosce viros de republica Christiana optime promeritos admirari, colere, venerari; nostrum, hoc virtutis eximiae ipsorum et constantiae cum prudentia, prudentiae cum *Φιλανθρωπία* coniunctae exemplum saepe attenteque intueri, nostrum denique illud sua quisque ratione imitari. Coram VOBIS autem, *Auditores ornatissimi*, liberalioris doctrinae libertatisque dicendi laude clarissimis viris, plura in hanc rem commendandam dicere velle, illud superuacaneum, ne dicam in animum VESTRVM iniunxerim esse mihi videretur.

Restat, ut de *libertate viuendi* ea, quae homine Christiano eoque Protestante digna sit, verba nonnulla addam, quibus cum explicetur, qualis illa vere sit, quibus rebus cernatur, quid boni quidue mali insit, tum etiam demonstratur, huius libertatis in viuendo explicationi accuratae, commendationi, laudibus, seruilis

*) Vid. Praef. ad Caes. Carolum V.



feruiliſ contra morum diſciplinæ deſtructioni plurimum ſtudii tribuiſſe Auguſtanae Confeſſionis auctores.

Adiuſtam vero huius libertatis notionem formandam eadem huc trahenda et ad morum inſtitutionem adplicanda ſunt, quae prioribus huius orationis partibus de cogitandi docendique libertate, non eadem cum licentia, expoſita iamiam ſunt; quibus tamen repetendis et in hanc rem conferendis non opus eſt immorari; nec igitur *Veſtra Auditores*, patientia longius deceat abuti. Libertas enim viuendi eadem eſt cum *Αυτονομία*; iſta vero in eo continetur, vt ſuis ipſius legibus quiſque obtemperet; leges autem iſtae nullae ſunt aliae, niſi quae ab hominum ratione recta, nec ſenſuum fraude in errorem deducta profiſcantur et diuina gaudeant auctoritate; a quibus nulla in re ea morum diſfert diſciplina, quam diuinarum literarum ſcripto-ribus, Chriſto potiffimum eiusque diſcipulis accurate et ad hominum animam vitamque communem appoſite explicatam debemus. Erat nimirum inter multas grauesque reformationis cauſas haec proſecto grauiffima, quod praefantiffima res, *virtus* vere humana et Chriſtiana, opinionibus falſis corrupta, temerata, neglecta et in rem plane diuerſam, *ſanctitatem* puto *eccleſiaſticam*, neſcio quam, eſſet permutata; quod iſta virtus, quam Chriſtianam ſ. eccleſiaſticam dicebant, ab ea, quam recta humana ratio exercere iubet, virtute, non ſolum nimis ſeparata atque diſtincta, ſed vtraque etiam ſibi inuicem eſſet oppoſita; quod praeter arbitrarias, quas putabant eſſe, diuinas leges etiam humana morum praeepta nec illa a ratione ſed a ſuperſtitione auctore proſecta, ad obſeruandum Chriſtianis propoſita eſſent, et, vt vno vocabulo ex philoſophorum ſcholis petito omnia comprehendam, quod *Αυτονομία* iſta rectae rationis, cum Chriſtianismo liberali optime conſpirante, abiecta, *Ετερονομία* introducta eſſet in morum diſciplinam, omnium malorum et corruptelarum in vitae diſciplinam irrepentium, primaria cauſa. Nec enim ſolum officia a natura humana alieniſſima, nec dignitati, nec vtilitati hominum ſatis conuenientia, imponebantur hominibus Chriſtianis, quibus tamen ad vera ac neceſſaria officia rite peragenda omnia



omnia non ſufficiebant vires, nec ſolum grauiffimarum virtutum vere humanarum honori tantum detrahebatur, vt quo quis magis eſſe haberique vellet Chriſtianus, eo minus in his exercendis ſtudium conſumere deberet; ſed etiam verorum officiorum cauſae, ab ea, qua ceteris praefant homines animalibus, dignitate deriuandae, ita neglectae iacebant, vt virtutis omnis pulchritudo, grauitas omneque decus plane deleteretur. Eo tum temporis res iamiam peruenerat, vt quo quis melioris indolis rectorisque iudicii eſſet, quo quis alios animi ingeniique natura magis anteiret, is eo minoris hanc, quae vulgo dicebatur, virtutem aeſtimaret.


Hiſce rebus triſtiſſimis omnique virtuti germanae exitialibus remedio afferendo, et morum diſciplinæ Chriſtianae a maculis turpiſſime adſperſis repurgandae, omne ſtudium, diligentiam, induſtriam tribuerunt optimi religionis Chriſtianae reformatores. Haec enim erat, omni teſte hiſtoria, cauſa omnis ab iis ſuſcepti repurgandae religionis conſilii primaria; haec ipſa quoque res eſt, quae inter multifarios eoſque omnes ſaluberrimos eius inſtituti fructus, primo loco numeretur, omnium digniſſima. Indubia luculentiffimaque in hanc rem probandam teſtimonia Auguſtana religionis conſeſſio nobis ſuppeditat, ex quibus hoc loco tantum grauiffima omnique exceptione maiora afferendi animus eſt et neceſſitas.

Omnem vero iſtam morum emendationem a libertate reſtituta, iuſtiſque eius finibus regundis pendere, ex locis, quae de hac re exponunt, omnibus ſatis intelligitur. Tametiſ enim nuſquam expreſſis doceatur verbis, rectae rationis praeepta reliquis omnibus praeeſſe, re tamen vera ita de moribus praecipitur, vt ſanae rationis diſciplina omnibus praefit, ad eiusque normam omnia regantur. Quum enim Chriſtianam vitae regulam vbique proponant, eam vero cum ipſa rectiſſima ratione omnino conſpirare ideoque optimae morum philoſophiae nomen prae ceteris de vita recte inſtituenda philoſophandi formulis, cum antiquioribus, tum etiam recentioribus, iure quidem ſuo Chriſtianae



nae ad vitam regendam institutioni omnium intelligentium consensu competat; quidnam aliud exinde sequitur, nisi rectae rationis iura in definiendis humanis officiis suprema hac ipsa reformatorem sententia firmari maxime et stabiliri? Illud sane apparet, nil arbitrarii, nihil ab ratione hominumque natura plane abhorrentis, eos in morum institutione Christiana admittere vellet. Sed vero ne temere ita statuere videar, exemplo vno eodemque illustri, quae posui, placet probare. Reformatores nostri quum Decalogum Moysi (Artic. XX, de bonis operibus) morum normam Christianis proponi vellent, tamen (Artic. XXVI, de discrimine ciborum. Art. XXVIII, de potestate ecclesiastica) tertium numero de Sabbatho celebrando praeceptum ad Christianos referri, et diuinum aliquod obseruandi diem dominicam officium, nunquam omittendum, exinde deriuari nolebant*). Intelligebant nimirum, argumentum huiusmodi legis versari in re arbitraria, in ritu et cerimonia non necessaria, ideoque libertati Christianae parum accommodata. Reiciebant atque damnabant omnia officiorum nomina, ab hominibus excogitata, hominibusque Christianis vi obtrusa erroreque suscepta, quae nullam ab utilitate rerum humanarum commendationem haberent, hominibus quippe liberis, *αυτονομικοις*, Christianis indigna. Multi sunt in impugnanda et ex animis hominum euellenda ea opinione, quae in certarum dierum feriatarum celebrationem, in certa ieiunia, fraternitates, peregrinationes, sacrorum hominum cultus, rosaria, coelibem monasticam vitae rationem, virtutis et perfectionis Christianae nomen sanctissimum transferre, quin etiam officiorum vere humanorum, diligentissimae obseruationi, puerilia ista, inutilia, saepe etiam noxia et perniciose studia longe praeferre non erubescerent. Nemo sane vsquam Articulos A. C. VIII. XIV. XV. XXVI. XXVII. XXVIII. legerit, quin ad amoris, laudis, venerationis sensum abreptus fuerit in tales tantosque viros, qui

*) Ex eodem exemplo facile intelligitur eorum, quae a nonnullis olim theologis, historice minus doctis, *ερεπδοξιας* ne dicam *αίρεσεως*, nota condemnabantur, nonnulla rectius cum libris Symbolicis consentire, quam quae vulgo dicuntur, orthodoxae sententiae. Erant sane librorum Symbolicorum auctores theologi non illiberales.



qui cum tanto animo, ab omni metu liberrimo, tanto studio, doctrina tam multifaria, eloquentia, contentione, grauitate, tanta denique sapientia atque prudentia, libertatis Christianae ab officiis temere excogitatis et superstitiose obseruatis causam praecipue egerint? Et quisnam alius liber, ab vilo vnquam theologo Christiano conscriptus, Symbolica, quae dicitur, auctoritate digniori iudicaretur eo, qui libertatis Protestantibus Christianis a Luthero vindicatae monumentum illustrissimum est ac splendidissimum, Augustana scilicet confessione? Eiusdem libertatis vindicatae vestigium non minus manifestum videre licet in causarum, ex quibus officia Christianorum peragi debeant, explicatione a reformatorebus proposita. Reprobata enim Catholicorum sententia, quae omnis virtutis exercendae vitiorumque vitandorum causam a studio vel effugiendi poenam summi numinis arbitriam, vel acquirendi praemia diuina, tanquam operum operatorum mercem, deriuarent, (Artic. IV. VI.) ita nostri statuebant, vt virtus propter se ipsam, ex amore et veneratione Dei i. e. ipsius sanctitatis a Christianis colatur. Qua de virtute sententia nulla profecto praestantior, nulla rei accommodatior potest excogitari, vtpote qua sola dignitas summa et cum nulla alia re comparanda virtuti seruatur incolumis. At obiiciat nobis forte quisquam, qui reformationis causae male velit, at eo vsque processit ista libertatis viuendi praedicatio, vt in licentiam abiisse recte dicatur, omnis praecepti vel diuini vel humani negligentem, omnemque rerum publicarum cum ciuiliuntum ecclesiasticarum ordinem temerario peruersoque consilio perturbantem. Nec vanam atque irritam esse hanc reformatorem reprehensionem, probare studuerunt aduersarii Pontificii magnis et tristissimis illis, quas variarum prouinciarum Germanicarum rustici homines, hac libertatis voce iterata incitati, in ipso reformationis tempore excitauerint, turbis, seditionibus, bellis ad abrogandum omnem magistratum reique publicae ordinem susceptis. Ad hoc argumentum infirmandum aut diluendum, equidem nec possum rem ipsam, historiarum illius aevi monumentis satis comprobata, in dubium vocare, nec cum reformatione libertateque Christiana restituta omnem horum malorum



rum nexum tollere; nec enim res indubie factas negare licet; attamen reformatorum studia ipsa turbarum istarum culpa omni carere, cum ex aliis, quae singula enumerare huius non est loci, argumentis, tum vero maxime ex A. C. in hanc rem locis quam plurimis et clarissimis fatis luculenter apparet. Legat, quicumque dubius in re perspicua adhuc haeret, legat et perpendat, quae A. C. Art. XVI. *de rebus civilibus* et Art. VII. XIV. XXI. XXVI-XXVIII. *de ecclesia, de ordine ecclesiastico, de ritibus ecclesiasticis, de discrimine ciborum, de potestate ecclesiastica* et similibus rebus explicata sunt; et quae iniuria fiat viris istis theologis, intelligat, ab iis, qui magistratum omnis generis reuerentiam depositam, et ordinis in externis pietatis exercitiis publicis instituendis et in ritibus ecclesiasticis, salutaribus illis quidem et innoxiiis, obseruandis neglectum ipsorum tribuerit imprudentiae in Christiana libertate praedicanda commissae. Legat Art. XX. *de bonis operibus* inscriptum, et perspiciat, quam falso accusentur nostri eo nomine, quod virtutis studium infirmauerint, legique vere diuinae quidquam laudis honorisque detraxerint. Legat quaecunque in hanc rem A. C. pronuntiet; nil profecto inuenire poterit, quod licentiae causam agat et in officiis explendis diligentiam vel minimum imminuat, quod vel leuissimum leuitatis, temeritatis, ne dicam impietatis in libertate describenda indicium praebet. Omnia potius spirant animum virtutis pariter ac libertatis amantissimum; nil omnino inest, quod aliquod reipublicae vel Christianae vel civili detrimentum importare posse videatur.


Tam certis, iustis et accuratis finibus libertas Christiana innumeris A. C. locis est circumscripta, vt vix quicquam melius, rectius et curatius in hac re grauissima possit definiri, vix aliquod illustrius imitatuque dignius libertatis pie, sapienter, docte et prudenter commendatae exemplum nostris hominibus doctis possit proponi.

Sed relinquendum est hoc argumentum, grauiori ampliori-
que sermone profecto dignum, quam eo quo mihi nunc per-
tem.



temporis omninoque virium mearum angustias exponere licuit. Iam vero officii nullo modo negligendi rationes iuuent, vt eiusrei, quae de A. C. dicendi opportunitatem concessit exoptatissimam, faciam mentionem. Voluit nimirum *Perillustri* quondam et *Generosissimus Vir, Nicolaus Christophorus* liber Baro *de Lyncker*, vt in hac academia oratio anniuersaria a iuvene quodam literarum sacrarum studiis dedito in laudis A. C. commendationem publice recitaretur, et vt is, quem theologorum in hac academia ordo summe venerabilis hoc munere non indignum commendasset, senatus autem ecclesiae, quae Wimariae est, summe venerandus confirmasset, amplissimis afficeretur beneficiis, liberalissime instituit. Hoc igitur nomine ego hodierno die oratoris munere functus, gratissimum meum animum erga hos benefactores meos pro insigni IPSORVM in me beneuolentia profiteor, et cum vniuersae stirpi generosissimae *Lynckeri*, illusterrimi testatoris profapiae proauo suo dignissimae, inprimis *Viro Illustrissimo* et *Excellentissimo* L. B. *de Lyncker*, Senatus ecclesiastici Wimariensis Praefidi Illustrissimo, patrono meo ad cineres vsque venerando, tum etiam reliquis *Viris summe Venerandis* eius *senatus sacri sociis*, non minus quam *Theologis Iuuenibus* pie colendis, vtrisque de me optime promeritis, omnem a summo rerum humanarum arbitro Deo apprecor felicitatem, incolumitatem, salutem.

A te, Deus immortalis, peto precorque, vt, quem per filium tuum Iesum Christum humano generi notum feceris *νομον ελευθερίας*, hunc nunquam non in terrarum orbe serues, notitiam eius saluberrimam augeas, et ad homines libertatis genuinae sensu implendos, plurimum efficere iubeas. Tu conserues et in dies augeas et amplifies liberum Christianorum Protestantium animum et sensum, vt ne iura magno sibi pretio comparata, ac summo profecto studio retinenda, vel ab eorum vsu iusto sibi abstinentes, vel temerariam licentiam iactitantes, inutilia aut perniciosaque sibi reddant. Praecipue autem benignissimam prouidamque curam habeas patriae nostrae terrae Saxónico-Wimariensis et concedas ipsi in posterum quoque eam, qua hactenus eius incolae sunt gaudi, felicitatem, vt laetissimo iure libere sentiendi,
docen-



docendi, viuendi omnes fruuntur, et ab omni seruili sensu, il-
 liberalique docendi viuendique ratione pariter ac temeraria li-
 centia longissime semper maneant remoti. Omni felicitatis ge-
 nere cumules *Serenissimos Ernestinae Stirpis Duces Saxonicos*, Aca-
 demiae nostrae nutritores magnificentissimos, ac praesertim pa-
 trem patriae nostrae, *Wimariensis terrae, CAROLVM AVGVSTVM*
Rectorem academiae Magnificentissimum, vna cum Celsissima Eius
Domo, CAROLO imprimis *FRIDERICO*, filio Eius principc haerede,
 spe patriae, eosque per longissimam aetatem nobis serues liber-
 tatis tutores, vindices, dignitatis ac felicitatis nostrae conserva-
 tores prudentissimos, constantissimos, felicissimos. Serues tu in-
 columem et in violatam hanc imprimis docendi libertatem, sa-
 pientiae atque prudentiae rationibus moderatam, omnibus iis,
 qui in hac Academia, bonarum omnium disciplinarum schola li-
 teris cum sacris tum profanis, vtrisque saluberrimis docendis ope-
 ram suam indefessumque studium nunc consumunt, et in poste-
 rum per omne tempus consumunt, vt nemo literarum studiosus
 Ienam unquam relinquat, nisi libertatis praestantissimae et a licen-
 tia cuiusuis temeritate seiunctissimae, sensu et veneratione per-
 fusus. Gratiam tuam singularem confer in eum, quem nunc vene-
 ramur, *Prorectorem Academiae Magnificum, Prorectorem Magni-*
ficum Designatum, atque in reliquos Academiae *Patres Conscriptos*,
 summaeque eos omnes, quae potest mortalibus contingere, *Ipsor-*
umque virtutibus dignae, felicitatis redde participes. Commili-
 tones autem nostros, honoratissimos mihi que carissimos perfun-
 das magis magisque in dies commodorum, quae ex sentiendi,
 docendi viuendique libertate nobis liberaliter concessa ad eos re-
 dundant, sensu suauiissimo, et ne quis unquam eorum veram li-
 bertatem a recta ratione seiunctam putet, et pro libertate salu-
 berrima licentiam nescio quam academicam, vel ridiculam vel
 etiam peruersam, salutique ipsorum exitialem captet, tua cura
 et prouidentia efficias.